

tum habeat; contrarium tamen non inuenerunt: licet probari potest ex dictis Cap. 6. Si enim Religiosi compelli possint ad acceptandam Parochialem curam, quod & P. Suarez ibidem adductus videtur docuisse; consequenter etiam compelli poterunt ad rectum administrationis modum: quia sicut ipsum Parochiale officium materia obedientiae est, ita & illa quae ad ipsum spectant, salutem Ordinariorum potestatem.

Circa obligationem habendi Socium ex eadem Religione,

64 **A**ffirmant communiter Doctores, si Beneficium Regulare sit, & Religioni pleno iure subiectum, ex Cap. Monachi de Statu Monachorum & Cap. Quod Dei timorem, eodem tit. Si verò pleno iure subiectum non sit, & ita neque Parochus amobilis ad nutum, secus censent: quia in priori casu, cum sub obedientia Religionis maneat, ad eius Praelatos spectat decernendi eorum modo viuendi prouidere: quod cum cesset in posteriori, quandoquidem Religiosus ab obedientia Praelatorum eximitur, non est obligatio Socium tribuendi. Sic P. Suarez Cap. 19. citato num 28. P. Palus Disput. 4. Puncto 25. num. 4. P. Pellizarius num. 121. & plures alij, quos adducit P. Sancius Cap. 6. citato num. 39. vbi alios modos dicendi commemorat: eum autem sequitur, vt Religiosi Monachorum nomine designati, semper ad id teneantur, non verò Canonici Regulares, nisi quando commode possunt: sic enim videtur decerni in praedicto Cap. Quod Dei timorem. Et quidem ita est, pro quo sola litterae inspectio sufficit, ex qua sunt illa.

Li. cet autem in Lateranensi Concilio de Monachis caueatur, ne singuli per villas & oppida per quascumque Parochiales ponantur Ecclesias &c. Quia tamen istud de Canonice Regularibus specialiter non cauetur, qui est ad sanctorum Monachorum consortio non putentur se iuncti, regule tamen inserunt laxiori &c. Iuxta quae manifestum est inter Monachos & Canonicos quoad habendum Socium diuersam Iuris dispositionem induci. Cum ergo in fine sic additur: Sic annuendum duximus postularis, vt exercens Plebani officium, si commode fieri poterit, vnum Canonicum Regularem tecum habeas ad cautelam: cuius in iis, quae Dei sunt, & Regularis obseruatione, tam consortio, quam solatio perfruaris. Cum inquam sic additur, obligatio nulla, quae peccatum importet, imponitur; aliàs inter Monachos & Canonicos nullum esset discrimen, quod tamen Innocentius Tertius ibidem intendit stabilire.

Quod ergo dicitur, Si commode fieri poterit, ad voluntatem est Beneficij penitus referendum: commode enim non potest fieri, quod est reuoluenti inclinatione faciendum, quamuis aliàs ratione sustentationis & habitationis, commoditas non deficiat. Idem igitur videtur, acsi diceret, Si molestum non sit futurum. Et tunc consilium est, & praeterea licentia conceditur vt socius pariter morari cum illo possit, quia de hoc forsitan aliquis dubitaret, an scilicet Canonicus non Parochus extra Conuentum cum Parocho habitare valerit, cum sit extra Clausura constitutus.

Ca. Quod Dei timorem, de Statu Monachorum. Commoda illius expositio.

65 Quidquid de hoc sit, in Parochis Indorum specialis ratio ad non habendum Socium occurrit, quia propter necessitatem illis est Parochialis cura commissa, vt Pius V. in sua exprimit concessione; ratione cuius necessitatis etiam fieri coeptum, vt Religiosi sine socio in Parochiis degerent; quod & postea, eorum etiam aucto numero, sic etiam factum & continuatum, vt iam obligatio dicta videatur consuetudine penitus abrogata. Pro quo & aliorum potest sententia succurrere apud P. Sancium supra, dicentium Monachos & Canonicos Regulares teneri ad habendum Socium, si commode fieri poterit: & in hoc esse illos prorsus aequales, discrimenque à Pontifice constitutum in eo consistere, vt Canonicis facilius quam Monachis Parochialia Beneficia conferantur. Quod equidem probabile est: vbi & alium explicandi modum possumus adhibere: Pontificem scilicet ita Parochialem curam illi, de quo erat sermo, concedere, vt licet Regulare inferuiret laxiori, Monachorum tamen subire obligationem deberet, habendi scilicet Socium ad cautelam. Discrimen ergo à Pontifice traditum inter Monachos & Canonicos, in eo est, in quo à Pontifice constituitur, quod scilicet isti Regulare inferuiant laxiori: sed eo non obstante statuit, cum de Parochiali cura agitur, quoad obligationem habendi socium penitus exaequandos. Obligatio autem vtroque est. Si commode fieri poterit. Id quod respectu Indorum Parochorum frequenter accidit quia vel idonei deficiunt: vel, si extent, vitam illam solitaria renunt: vel à Praelatis non conceduntur, quia eos pro Conuentibus necessarios iudicant: vel quia vt in plurimum molesti sunt, nec solatio, vt Pontifex ait, sed tormento: vnde non videtur circa hoc scrupulus iniiciendus. Ex quo & commodum illud sequitur, vt non multiplicetur eorum numerus, qui vitae laxiori assueti, difficile ad domesticam obseruantiam reuocantur.

Pro quo P. Suarius Cap. 19. citato num. 21. optime philosophatus, dum ait quod reuocatio Religiosi ad Clausuram est valde vitis, & vicissitudo illa est moraliter necessaria ad bonum Religionis; ne per longam consuetudinem existendi extra Clausuram amittat Religiosus consuetudinem etiam obediendi; & alius Religiosos motus &c.

66 Illud tamen hoc loco addendum teneri Religiosum Parochum pro habendo socio sollicitudinem adhibere, & Praelatum Religionis praebere illum, quando ob Praecianorum numerum, aut oppidorum distantiam, vel alià ex causa nequit commode administrare. Et tunc quidem ad Ordinariorum prouidentiam spectat Parochiae diuisio, concurrente Patrono. Neque enim hic locum habet priuilegium, de quo P. Pellizarius supra num. 113. s. Queri potest, Ordini Ierosolymitano concessum, vt ob numerositatem nequeat Episcopus Parochias dismembrare: quod participant aliè Religiones: quia cum Parochiae Indicae saeculares sint, & precario à Religiosis habeantur, de illis diuersa est ratio. Pro quo Concilium Limentense Tertium Act. 3. Cap. 11. sic loquitur: & antiquissima Iura, & nouissima Concilij Tridentini Decreta (Sessio 21. Cap. 4. de Reformat.) Episcopus magnopere admonent, ne plures Parochianos Rectori alicui committi patiantur, quàm quibus

In Parochiis Indicis obligatio nem esse. Quorumdam sententia, & explicatio. Cap. citati.

Alius explicandi modus.

P. Suarez

Obligatio nem exarere, si numerus Paracianorum sit magnus. &c.

Concilij Liment. s. Decretum quibus

quibus possit sufficere ad Ecclesiastica Sacramenta ministranda, & diuinum cultum peragendum. Quod maturè expedites Patres in hac ipsa urbe iam pridem ad Synodum Prouincialem congregati: vt animas suas liberarent, super speculam Domini constituti, clara voce pronuntiarunt, restatque sunt, iudicare se non posse vni Rectori plures Parochianos Indos quàm quadringentos rure committi: sed neque ipsis ad huc quadringentis vnum sufficere cerio se affirmare: interim tamen id tolerandum esse. Post hæc, & alia sic concluditur: Itaque consensus in quocumque populo Indorum, qui contineat Parochianos trecientos, aut etiam ducentos, proprium Parochum debere constitui. Cum autem pauciores fuerint quàm ducenti, curet, & efficiat Praelatus vt eò reducantur, vbi commode regi possint. Hæc iuxta duo Concilia; vt videant Parochi, in quorum populis Indi multiplicati sunt supra numerum, quomodo debeant eidem aduocato socio subuenire.

67 Neque enim caussari possunt se ad id non teneri, dum salarium non augeatur, scientibus Episcopis Paracianorum excessum, neque ignorante Patrono, quibus est potius defectus, qui in administratione obuenerit, imputandus. Nam, vt in eodem Concilij loco habetur, emolumenta Parochorum maiora sunt, quàm eorum singulis debeantur: sic enim ibi: Cum praesertim Indorum tributa, quae Doctrina potissimo titulo exiguntur, tanta sint, vt longè plures Ecclesiasticos Ministros non raro alere possint. Sic ibi. Quibus addenda obuentiones pro Indorum numerositate

Excusationem esse inualidam ex eo quod salarium non augeatur, ex illius superabundantia ostenditur.

multiplices. Deinde. Et, si salarium non augeatur, tenentur Parochi dum morbo impediuntur, Paracianis de Ministro prouidere, quia id exigit Pastoralis cura: ergo & in casu, de quo loquimur. Et cum hoc onere videntur Beneficia ista conferri, licet in collatione ipsa illud non exprimat. Quod quidem in Parochiis Religiosis euidentius apparet, quia illis pro sustentatione pauciora sufficiunt, vnde, & iubentur habere socium ad cautelam, consortium, & solarium, iuxta dicta. Et ita supponitur obligatio ad eorum sustentationem: ergo multò magis in partem sollicitudinis, quando illa necessaria est. Vnde si requisiti Praelati Socium tradere nequeant, aut nolint, cum possint, debent Parochi saecularem Sacerdotem aduocare, etiamsi praeceptum Praelatorum id verantium extet: quia in eo & charitas, & iustitia aliud manifestissime persuadent. Quod si etiam certam summam contribuere Prouinciali, aut Conuentui alicui, praeproposito, compellantur, & eam in stipendium coadiutoris infumant, ad illam, neque aliquam eius tenentur portionem in foro scienter, & asserere cum veritate, & etiam iuramento possunt, emolumenta fuisse talia, vt ad contributionem dictam minimè fuerint sufficientia. Si eis fides adhibeatur, bene quidem res se habebunt: sin minus, patientia illis necessaria erit, quia redde re compellentur; sed non ideo, vt credo, fame morientur. Pro quibus hæc sit satis atexuisse.

TITVLVS XVIII DE PRÆBENDARIIS ECCLESIAE CATHEDRALIUM INDICARVM



orum supra Parochos nota excellentia est: sed cum de Ministris saluti Indorum quaerendae praepositis, & Episcoporum praecipuis adiutoribus tractatio nostra procedat, illos est visum praemisisse. Cum aliàs ob peculiarem Curam animarum, in qua Parochi ad Episcopalis sollicitudinis partem aduocantur, fiat qui tractationem de Parochis tractationi de Praebendariis praeponebam arbitrentur, vt videri potest apud P. Bauny Tomo 1. aut etiam anteponant quatenus ex minus perfectis ad perfectiora procedunt; eo quod Beneficia Curam animarum habentia simplicibus perfectiora quoad substantiam videantur; immò & reuera sint: iuxta quae de illis agit P. Azor Tomo 2. Lib. 3. qui de Parochis Cap. 12. Sed hoc parui momenti est: nec Domini Praebendarij multum de ordine curabunt, dummodo illis hoc nostro labore aliquantulum feruimus. Sit ergo pro ipsis

CAPVT I.

An prouisionis titulum accipientes pro Cathedralium Indicarum Praebendis, si admittant, debeant statim ad seruiendum, praesentatione exhibitâ, se conferre.

Quando Reges nostri aliquos ad Indicas solent praesentare Praebendas, in prouisionis schedulis spatium etiam soliti sunt satis competens temporis assignare, in-

Prouisionis Regia stylus assignatione temporis.

tra quod sic prouisus Regia praesentatione Praelato Ecclesiae exhibita, debeant suum ministerium auspicari, non valiturum aliter, vt in eadem exprimi consuevit. Et causa quidem longi spatij, duorum scilicet, aut trium annorum, ex distantia desumitur, & nauigationum incertitudine. Contingit autem multoties aliquos prouisionem dictam accipientes totum illud spatium expectare, cum breuiori possint ad Ecclesiam sibi assignatam accurrere, Regiae beneficentiae fructum accepturi. Circa quod merito dubitari potest, an tutâ conscientia fieri possit. Et pro parte affirmatiua fiat prouisionis ipsius tenor, cui se potest

Formulam prouisionis proponit D. Villaroel, quest. 19. Art. 3. an. 18. &c.

Parti affir-
mativa
probat.
ma.

est quis, salua conscientia, accommodare; est enim gratia, & talibus, sicut & priuilegijs, utimur cum volumus, iuxta receptum axioma. Præterquam quod cum Regio Consilio Indiarum constet prouisos posse in ciuitate ipsa adesse, in qua est Ecclesia, ad cuius seruitium promouentur, vel certe non longe ab illa, sic statuere poterant, ut si intra breuius spatium se præsentare non possint, longum aliud minime patrocinari possent, clausula illa addita, *vel si intra breuius possint, in quo mora eis nocebit.* Atqui tale quidquam non additur: ergo quia non est iuxta prouidentis mentem ut spatium illud, cum fieri poterit, debeat ex obligatione conscientie coarctari. Nihilominus

Affertio 1.
negans, de
ficiente
causa.

2. Dico primò. Si prouisus de Præbenda sine rationabili causa præsentationem diu differat, non videtur tuta conscientia id facere posse. Probat, quia cum Præbenda instituta sit pro seruitio Ecclesie, ad cuius auctoritatem, decetam, & splendorem spectat, dum eo per longum spatium prouisus, damnum notabile patitur, cuius rationabilis causa non est in eo, qui eidem occurrere potuit, & debuit, accepta præsentatione. Damnum autem notabile reputari ex dispensatione Iuris ostenditur, circa tempus, quod Patronis ad præsentationem conceditur; laicis enim quadrimestre, Ecclesiasticis semestre: quia veteris prouisionem differre non sine notabili Ecclesie potest contingere detrimento. Et ideo negligentes in præsentando intra illud spatium, præsentationis pro illa vice iure priuantur: quæ poena grauis profecto est. Cap. Qui diuersitatem, de Concessione Præbendæ. Et Cap. Vnicui, de iure patronatus in Sexto. Ratio autem decisionis redditur in Cap. Ne defectu 41. de supplen. neglig. Prælator. ne scilicet Beneficia diu vacent. Et Cap. Nulla 2. de Concess. Præb. ibi: *Non diu maneant in suspensio.* Quid autem prouisio prodest, si electus remoratur? Quod vrgetur ex obligatione, quam Præbendarij habent assistendi in Ecclesia, quæ sub mortali est, si absentia sit diuturna, ut cum alijs docet P. Bauny Tomo 1. Tractat. 1. Quæst. 6. s. Et autem. Et s. Quæres. Et in Praxi Beneficiorum, Disput. 13. Quæst. 47. ac Disput. 15. Quæst. 24. per errorem, cum esse debeat. 25. s. Quæ est. Et probabilius, multis adductis, affirmat Diana Parte 2. Tractat. 12. Resolut. 31. P. Palus Tomo 2. Tractat. 7. Disputat. 3. Puncto 2. Et omnino videndus Bonacina Tomo 1. Disput. 2. de officio diuino in Choro, &c. Quæst. 1. Puncto 2. num. 1. & P. Lessius in Resolutionsibus posthumis, verb. Hora Canonica, num. 18. Pro quo & nonnullos adducit P. Thomas Sancius Lib. 2. Consultorum, Cap. 2. Dub. 1 & 2. num. 2. licet ipse num. 4. & 5. tantum sub veniali esse dicat, nisi contemptus adsit, aut propter absentiam omittatur officium diuini publicum, vel alias notabiliter lædatur cultus diuini officij. Atqui prouisus de Præbenda, quam admisit, iam est moraliter Præbendarius, & titulo Præbendæ ab omnibus saluatur, cuiusque absentia non sine detrimento diuini cultus accidit: ergo de illo est similiter iudicandum. Neque obstat Præbendæ fructus non percipere: quia obligatio refundendi ex Beneficij habetur ad Ecclesie seruitium institutum: distributiones autem neque augent, neque minuunt obligationem, sicut neque alia emolu-

Extempore
Patronus
designatio
vrgetur.

Cap. Nulla
de concess.
Præbendæ.

Et ex obligatione
assistendi in
Ecclesia
Præbendarij
com-
muni.

Ne obstat
fructus non
percipi.

menta: sed dantur ad inuitandum Præbendarios ut animo promptiore concurrant, ut bene observat P. Sancius supra, num. 6.

3. Dico secundò. Si rationabilis causa dilationis sit, nullum erit in illa peccatum. Probat: quia rationabilis causa dilationis, est rationabile impedimentum: atqui impedito non currit tempus, ut est regula multis Iuris vtriusque decisionibus comprobata, pro quibus videri potest Glossa in Cap. His quibus de Electione verb. Currit. Ut verò rationabilis debeat causa reputari, inspiciendum an ex affectu honesto procedat, etiam si temporale commodum concernat; ut quia tempus illud necessarium est ad recuperanda debita, vel de rebus suis disponendum. Non verò si ex titulo augendi diuitias per contractus minus decentes Clericalis statum, aut ex ambitione, quia sic viam munit Præbendæ alteri pinguiori. Erit autem honestissima, si Parochus Indorum sit, & in edificandâ Ecclesia veretur, cuius fabrica eo abscedente, aut nullo modo, aut lente admòdum censetur processura. Vel si pio alteri incumbat operi illius presentia promouendo, & absentia negligendo. Et generaliter si Deus habeatur præ oculis, cuius beneplacitum inquiratur, & non mundi vanitas domineatur.

Affertio 2.
affirmans
stante ra-
tionabili
causa.

Vnde talia
reputanda.

4. Dico tertio. Si tempus in Regia prouisione assignatum non sit elapsum, etiam si rationabilis causa pro dilatione non fuerit, non peccabit grauius qui præsentato titulo Præbendæ postulauerit collationem, neque etiam qui sic præsentatum admiserit ad Canonicam institutionem & possessionem. Ratio est; quia quidquid de præterito peccato fuerit, ius ex præsentatione habitum non est amissum, quia Regia prouisio absolute illum terminum statuit, neque ob dilacionem alias culpabilem inualidari gratiam a se factam declarat, aut verosimili aliqua ratione significat. Oportet autem beneficia Principum esse mansura. Sicut Regula habet Iuris in Sexto: pro quo & facit ratio adducta nu. 1. & deferuire potest multorum scriptorum sententia assentientium Præbendarios ægotantes lucrari distributiones quotidianas, etiam si propria culpa in morbum inciderint, ut videri potest apud P. Sancium supra, Dub. 91. Trullench Lib. 1. Cap. 8. Dub. 8. numer. 5. & Zerolam Parte 1. verb. Distributiones, numer. 3. Culpa ergo priuilegio & gratiæ non obstat, quando ita admiscetur, ut ob illam non inueniatur aliud a Principe declaratum: vnde nec veniale in eo videtur esse peccatum.

Affertio 3.
etiam illa
deficiente
causa esse
admissionem,
immo &
non culpa-
bilem.

Ægotantes
lucrari
distributio-
nes, etiam si
ex culpa.

5. Dico quartò. Si terminus elapsus sit, neque rationabilis causa subsisterit dilationis, etiam prouisus poterit tunc tuta conscientia ad Episcopum venire, institutionem Canonicam petiturus. Id probat ex Cap. Si tibi absentis, de Præbendis, &c. in Sexto, vbi sic habetur: *Sed si Episcopus (notificata tibi Collatione) ad consentiendum terminum competentem assignet: nisi consenseris, poterit eo elapso Beneficium liberè cui uideris expedire, conferre. Antequam tamen ipsum contulerit, tuum poterit (non obstante quod elapsus sit terminus) prestare consensum: & ex tunc de ipso non poterit aliter ordinari.* Sic Bonifacius VIII. Propter quam decisionem tenent communiter Doctores nullum tempus in Iure præfixum esse, intra quod Beneficia acceptari debe-

Affertio 4.
idem sta-
tuens elapso
termino.

Cap. Si tibi
absentis,
de Præben-
dis in 6.

CAPVT II.

Antuta conscientia pauci Præbendarij, ad quos est numerus statutus in erectione redactus, eorum possint emolumenta lucrari.

7. Decimalia emolumenta sic disposita in Indiis sunt, ut ad distributiones quotidianas quarta decimarum portio sequestretur Præbendarijs dispensanda. Cum ergo ob Patroni distantiam contingere possit, ut deficientibus Præbendarijs alij tardiùs adueniant, & sic eorum reddatur exiguus, inde dubitationis materia, & certè non leuis, ut non debeat hoc loco prætermitti. Circa quam

Dico primò. Quando numerus Præbendariorum adeò est exiguus, ut eorum distributiones veniant duplicandæ, aut ampliores duplo future, recipi quidem ab illis possunt, sed cum diuerso modo obligationis. Primum ex eo ostenditur, quia quota illa eidem assignata est, & pro casibus contingentibus nihil aliud dispositum, dum deficientium numerus non suppletur. Sicut ergo quarta Episcopalis deferenda Episcopis est, & sua etiam portio fabricæ, sicque alijs; ita & Præbendarijs. Secundum autem probatur; quia distributiones decimales secundum maiorem sui partem sunt stipendium laboris, quod vi proportionatum est eidem assignatum, de quo num. 2. Atqui numero ad paucos redacto, nequit quòd cum dicto excessu superadditur rationem proportionati stipendij habere: ergo non est illius & alterius eadem ratio, & pro utroque similis obligatio. Maior constat ex dictis. Et præterea est pro illa quod ex communi scribentium doctrina habet Covarruuias Lib. 3. variarum, Cap. 13. num. 1. distributiones scilicet esse veluti diurnum & horarium stipendium his, qui quotidianò ministerio in celebrandis diuini officij inserviunt Ecclesie. Pro quo & Zerola Parte 1. verb. Distributiones, num. 3. s. Primum dubium, bene ait, esse denarium diurnum illi ex condigno debitum, qui portauit pondus diei & æstus, ut in Evangelio. Matth. 20. v. 12. & Congregatio Cardinalium circa Caput. 12. Sessione 24. de Reformat. ante num. 40. verbis illis: *Amittendus esse distributiones quotidianas, utpotè quæ debeantur illis, qui adsunt. Ideoque dicunt esse salarium diurnum, quod laborantibus debetur.* Minor autem est manifesta: nam distributiones sunt proportionatum stipendium, quando numerus est Præbendariorum expletus: ergo quod additur duplo aut amplius excedens, supra proportionem est: ex quo fit illationem esse etiam manifestam.

Ratio di-
bitandi.

Affertio 1.
affirmans
sed cum di-
uerso modo
obligatio-
ni.

Distributio-
nes quo-
modo stipen-
dium diurnum.

Nullum tẽ-
pus in Iure
designatum
pro acce-
ptione.

ant, ut videri potest apud Dom. Solorzanum Tomo 2. Lib. 2. Cap. 13. numer. 21. Licet autem Regiam præsentationem acceptauerit, cui terminus præfixus est, cum renuntiare illi possit liberè ante Collationem, non est plenè Beneficium acceptatum. Præterquam quòd Capituli præfati decisio edendit, ut Collationi non sit tempus in Iure præfixum, licet præsentationi & prouisioni sit: ergo dummodo Ordinarius præsentatum vellet instituire Canonice, lapsus termini à Patrono designati non officit; quæ quidem designatio prouisus diligentiam excitat, & obligationem ante oculos ponit, & non formam inuolabilem proponit, etiam si dicatur ut Præbenda vacet: ut verò hoc non debeat Regiæ voluntati contrarium existimari, valida est coniectura ex iis, quæ diximus num. 2. circa damna, quæ ex dilacione in Beneficiorum prouisione sequuntur: id namque in casu præsentati maximè verum comprobatur. Si enim post elapsum tempus præsentationi assignatum, ad notiam sit deueniendum prouisionem, aliud erit spatium simile percurrendum, quod iunctum præcedenti longissimam faciet vacationem. Nequit autem tale quid de Regiæ voluntate præsumi, ad maius semper bonum causæ publicæ, & præsertim Indiarum, intentâ, cuius sunt curæ ab Apostolicâ Sede quoad spiritualia commendatæ. Si etiam addamus non sine graui scrupulo præsentationem ita posse prorogari, contra Iuris dispositiones, præsertim circa Patrones laicos.

Tacitam
renuntia-
tionem per
triennium
inductam
non bene
casui præ-
sentati appli-
cari.

Cap. Quæ
periculo-
sum 7. q. 1.
explicata.

6. Et licet communis sententia sit eum, qui per triennium collationem non acceptauit, censeri iuri sibi competentem renuntiasse, & ita illo priuari: pro quo Dom. Solorzanus supra, num. 21. & 22. quia est tacita renunciatio, quæ in Iure expressè æquiparatur. Cap. Quam periculosum 7. quæst. 1. In casu tamen nostro aliter res habet, quia nequit tacita renunciatio præsumi, vbi expressa est Beneficij assumendi voluntas, quamuis plus iusto illius executio prorogata. Neque Caput illud quidquam probat, in quo de tacita renuntiatione nihil habetur sed quòd periculosum sit iuri & potestati in spiritualibus renuntiare, quandoquidem quod dimittitur, nequit reassumi, quod Esau exemplo comprobatur, qui vendidit primogenita sua. Atqui Esau non tacitè, sed expressè renuntiauit, ut constat ex Genesis 25. & ex facto: vnde Caput illud desumptum, quia scilicet Diuus Cornelius Pontifex volebat Pontificati renuntiare, quod ne faciat, Diuus Cyprianus exhortatur. Vbi manifestum est non de tacita, sed de expressâ renuntiatione tractatum. Negandum tamen non est tacitam tantum renuntiationem inueniri posse, & triennium ad illam sufficere, vbi de contrariâ voluntate non constat, per quam tacita venit elidenda, quia in solâ præsumptione fundatur. Ad ea, quæ initio Capituli pro parte fauorabili sunt proposita, non est opus respondere, cum ex dictis constet quod ex illis habeatur.

8. Dici potest supra proportionem non esse, quia augetur labor, dum ille, qui plurium erat futurus, ad paucos reuocatur: sed contra hoc est, quia licet labor aliquantulum augeatur, non tamen in eâ proportione ut totum distributionum incrementum possit illi respondere; cum aliàs certum sit, quòd præmium laboris iuxta illius debeat crescere proportionem. Quòd autem notè sic crescat euidentissimum est. Nam quod attinet

Et laborẽ
aucto non
bene argui
ad totalem
accensionẽ.